



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

De libro Indice mulctarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

iusque ecclesie, & altaris separatim, & reliqua suppellectilis Sacrilitie cuiusque generis; & omnia alia inuentaria, indices, & alia exhibita à Parochis in executione instructionis pro visitatione ante transmissa.

Citationes.

Præcepta.

Comparitiones.

Relaxationes.

Sequestra, &

Relationes eorum.

Alia etiam eiusmodi.

Institutiones, & confirmationes locorum piorum.

Index diarius scripturatum recepturatum vel datatum.

Regula eorundem.

Notarius substitutus visitationis, iuxta regulas præscriptas in causis civilibus & criminalibus, omnium scripturarum, vel publicæ auctoritate munitarum, vel aliarum quarumcunque, quæ ad illius manum devenient occasione visitationis, necnon & actorum ipsius visitationis, conficiet indicem die tim, servata ratione data Cancellario in eo genere.

Consignatio Cancell.

Eadem ratione notet etiam, si quas scripturas foris dari oportuerit, postquam ad illius manum pervenerint.

Cum primum redierit ex visitatione, infra tres dies consignet acta, tam prima illa in folijs conscripta, quam etiam post redacta in librum, cum suis indicibus, & alijs scripturis quibuscunque Cancellario per inuentarium.

De libro Indice multarum.

Cancellarius habeat librum indicem; in quo describantur summam omnes multæ, & condemnationes, ac poenitentia, quæ pecuniariae sint; vel rerum, quæ pecunia appellatione censeri possunt: etiam si ex causa Sancti Officij Inquisitionis sint, etiam per Vicarios foraneos, aut Visitatores, aut etiam per literas, aut alias etiam extrajudicialiter impositæ; cum nota cautionum, & terminorum datorum pro satisfactione illarum.

Quæ pertinent ad disciplinam morum clericalium.

Si liber perpetuus unus, & plures, quotquot necessarij erunt pro descriptione status personalis Clericorum singulorum huius Dicecesis: & eorum, qui Clericali militie proximè adscribendi sunt. In eo describatur singulorum status exactè, ad infra præscriptam formam.

De libro status personis clericis.

Formula describendi statum Clericorum, vel eorum qui clericali militie adscribendi sunt.

Primo ponat in capite pagine, si in Vrbe domicilium habeat, nomen suæ portæ, seu regionis Urbis, tunc Parochiæ: si in Dicecesi, Plebis & Parochiæ, & oppidi vel Vici, in quibus domicilium habeat.

Domicilium.

Idemq; seruetur, si alienigena sit.

Secundò ponatur dies, mensis, annus, quibus describitur status huiusmodi: idemq; fiat suo loco, quoties aliquid addetur in descriptione huiusmodi status.

Tempus descriptionis status.

Tertiò Nomen, & Cognomen, & locus originis, cum eisdem conditionibus, quibus dictum est in descriptione domicilij, & vitæ præteritæ, præsertim antequàm clericali militie adscriberetur; artissq; professio, si quam professus est.

Nomen cognomen & professio.

Quartò, Parentum Nomen & Cognomen, conditio generis, vitæ ratio, vel artis professio, nunc, & olim: fratrum quoque, & sororem numerus.

Parentes.

Si cui præterea ex his alijsve agnatis necessaria utilisque sit illius opera, ad vitæ sustentationem, ad custodiam, tutelam, curationem, vel administrationem.

Quintò, Patrimonium proprium, an commune cum alijs, re ipsa, an spe successione legitime, eiusq; valor, & redditus annui, pro portione ad illam quoquo modo pertinentes.

Patrimonium Habitatio.

An litium civilium profanarum, vel criminalium, implicationes.

Sextò, Habitatio ubi; & si in vicinia suspecta sit; & an ædibus ecclesiasticis, vel secularibus; & an proprijs, vel alienis; & à quo tempore citra habitat in illis.

